

AD QODLIBETARIAM QVÆSTIO MEDICA.

MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS Medicorum die Iouis 23. Ianuarij Clarissimo viro D. Nicolao Milot Decano & Regis Medico moderatore.

An febrium ex vrina, quam ex pulsu, certior dignotio?



NFINITO *propemodum morborum numero, quibus obsessa tenetur vita, accessit nullo non tempore, & in omnes pariter sæuiens febris: vt affectuum omnium frequentissimus ad communem humani generis perniciem natus. Finitur calor præter naturam accensus in corde primùm, ab eo per arterias, & venas vnà cum spiritu, & sanguine celeriter permeans in vniuersum corpus: Affecto corde vitæ principio, ipsi mox omnia consentiētia, ne munus suum expleant, impediūtur. Si quando calor longius à corde ob visceris cuiuspiam, aut partis inflammationem ab humorum illic coercitorum putredine contractam accendatur, propinquioresque sibi partes excalfaciens, sensim obrepat ad cor, & ab eo mox in corpus omne refundatur, febris Symptomatica nominatur.*



RIPILCI *huamni corporis substantiæ calor ille præter naturam inhærens, totidem genere distinctas febres constituit. Ab incensis spiritibus prodeunt Diariæ: quas sanguis concepto calore imitatur. Contabescentibus præ siccitate partibus, penitiore æstu exhaustis Hecticæ propagantur. Humores verò vasis conclusi præsertim maioribus pororum cutis obseratione, & vasorum in alto delitescentium obstructione, putredinem ab alieno calore excitatam interdum cōtrahunt, quam si sanguis ex æquo auctus conceperit* Συνοχοὺς *parit: inualescentibus verò pituita, bile, aut melancholia, quotidianæ, tertianæ, & quartanæ cōtinuæ exoriuntur.*



NTERMITTENTIVM, *vt & continuarum tres omnino differentiæ, quæ locis seclusæ, ab iisdem humoribus originem trahunt, qui vel ob ampliorem copiam, vel recipiētium vasorum obstructionem permixti sanguini per venas deerrantes, naturæ impulsu vbi noxii esse cœperint, à vasis maioribus in exiliores venas, tandem in corporis habitum, & partes sentientes impetu protruduntur, quas pungunt & stimulant: Hinc rigor à bile in tertiana: horror à melancholia, in quartana: frigus à pituita, in quotidiana suscitantur, quibus humoribus à natura excoctis sudoribus, aut quocunque modo euacuatis terminatur accessio.*



VARVM *insigniores notæ tres sunt: caloris excessus, pulsus, vrina. Pulsus (cuius etiam arteriæ omnes, & ex venis solæ temporales dictæ sunt participes) cordis præcipua actio, dum à facultate vitali mouetur, quô natiui caloris mediocritas custodiatur: natiuo calore quocunque modo præter naturam affecto, à mediocri recedat, ipsiusque cordis affectum prodat, necesse est. Vrina, quæ cibi potusque permixtorum, confectorumque pars tenuior, humidiorque, vbi transmissi chyli ad iecoris portas properantis illapsum promouit, eius portio copiosior à renibus trahitur: reliqua sanguis fibrarū copia crassior, dilutus, venas permeat, & ad extrema quæque deducitur: quo perfuncta munere aut sudoribus exhauritur, aut eâdem qua processerat via, relabitur in renes, vnà contentorum in vasis humorum notas referens, vt quasi ab iis desecta portio constitutionem quoque ipsorum indicaret.*



EQVE *tamen pulsui, vrinæ, aut calori soli & separatim fidendum: Calor in Lypiria, rigore, horrore, tangentis manum fallit. Sic in senibus febres ad manum non sunt conspicuæ: contrariæ temperaturæ cordis arteriarum vel eorum quæ in vasis, vel in corde continētur pulsus moderatos veluti naturales ementiuntur etiam in febre: & vrinæ sæpe rubræ sunt, & subrubræ, vt in colico dolore, & in Hydrope, sine febre tamen. Quod si pulsum cū vrina conferas, pulsus qualibet vel minima corporis, vel animi commotione, ad medici etiam aduentum permutari, præsertim in animi affectibus, vrinas magis constantes & permanentes reperias, quo factum fortasse vt raro pulsuum, vrinæ passim Hippocrates meminerit: Accedit quod vrina febrium tempora inter se distinguit, à quibus & victus & remediorum in omni morbo indicatio sumi etiam potest.*

Ergo febrium ex vrina, quam ex pulsu, certior dignotio.

Ponebat RICHARDVS MARCES Parisinus anno. 1597.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI

M. Claudius Boyuin.
M. Philippus Harduin de S. Iacques
M. Claudius Fauuelet.
M. Claudius Dreux.
M. Iullianus Beré
M. Nicolaus Marchant.
M. Nicolaus Milot Dec. Præ. & Med. Reg.
M. Guilielmus de Baillou.
M. Henricus de Monanthueil. Prof. Reg.